

nec subjacent dominio ejus, neque in his se gerit ut caput filii, sed solum ut privata persona. Et eadem ratione fides patris non applicatur filio pro ipsius arbitrio, sed solum juxta divinam institutionem. Et ideo nihil refert signum externum, nisi sit illud quod a Deo est institutum. Quare gratis et sine fundamento dicitur, tale signum continere votum baptismi, quasi ex opere operato, quia hoc opus operatum deberet fundari in aliqua Dei lege, vel in effectu aliquo ab illa proveniente. Quare non est simile, quod de baptismo et de Eucharistia dicitur; nam, ut omittam, satis metaphorice dici, parvulum per baptismum habere votum Eucharistiæ, tamen illa metaphora fundatur in effectu, quem baptismus habet ex lege et promissione Dei. Nam unit animam Christo, et infundit charitatis habitum, quo servantur omnia mandata, seu servari proponuntur, etiam in habitu. Hæc autem et similia non habent locum in quolibet signo externo proprio arbitrio exhibito absque Dei institutione. Ad primam confirmationem respondetur, negando verba Evangelii sufficienter explicari dicto modo, seu cum prædicta exceptione, quam non negamus potuisse Christum addere suæ legi, si voluisset, negamus tamen id fecisse, quia nec verba ejus hoc præ se ferunt, nec Ecclesia ita sentit. Ad congruentiam vero de suavi Dei providentia respondetur, in primis in hoc negotio parvulorum, partim habendam esse rationem divinæ misericordiæ, partim justitiæ. Est enim in parvulis sufficiens causa, propter quam excludantur a regno cælesti, et ideo potuit Deus ad ostensionem justitiæ suæ permittere ut pereant illi, quibus remedium ordinarium ad consequendam salutem, vel non applicatur, vel applicari non potest propter occurrentes circumstantias, quæ sunt per accidens ad institutionem remedii, quod de se universale est, et pro omnibus datum. Deinde dicitur, in hac lege de necessitate baptismi, magis esse pensandum quid expediat bono communi totius Ecclesiæ in hoc statu legis gratiæ, quam quid expediat privatis necessitatibus, aut commodis aliquorum. Oportuit enim legem baptismi esse generalem, ut ille solus sit regeneratio in Christo, et janua ingrediendi Ecclesiam, ut sicut Ecclesia una est, ita unus sit regenerationis modus. Adde illum eventum, in quo accidit, parvulum aliquem non posse baptizari, rarissimum esse, et moraliter vix posse accidere, et ideo propter id non oportuisse exceptionem addere, sed ma-

gis fuisse conveniens legem esse regularem, et inviolabilem, nullumque locum relinqui humanis interpretationibus et arbitriis. Adde præterea, hoc fuisse expediens ad ostensionem divinæ gratiæ, sicut et justitiæ. Nam totum hoc negotium salutis maxime pendet ex divina voluntate et præordinatione, et ideo sicut in hoc negotio baptismi, interdum ostendit justitiam suam, ut dicebamus, prævidens fore, ut alicui non possit applicari baptismus, et permittens illum sine baptismo perire, ita interdum mirabiliter ostendit gratiam suam, quando nimirum casus occurrit, in quo videtur parvulus omni humano et naturali auxilio destitutus, ut baptizari possit, tamen Deus specialiter, et inusitato modo illi providet, ut omnino baptizetur, priusquam moriatur.

8. *Ad secundam confirmationem.* — *Comparatio baptismi et circumcisionis.* — Ad secundam confirmationem respondetur, etiam si in lege gratiæ omnino determinatum sit remedium parvulorum ad baptismum, non ideo esse nunc parvulos pejoris conditionis, quam essent in lege naturæ, aut veteri. Nam in primis, quamvis materia, seu signum baptismi sit definitum ad talem cæremoniam, quæ non erat determinata in lege naturæ, nihilominus tam est communis hæc materia baptismi, et tam facile potest applicari tota ejus cæremonia, ut moraliter fere tam facile applicari possit, ac si esset indifferens, et quælibet cæremonia sufficeret, sicut in lege naturæ sufficiebat. Aliunde vero facilius potest nunc applicari hoc remedium, propter majorem fidei cognitionem, et certiozem ipsius baptismi significationem et institutionem. Accedit etiam, quod majori fructu applicatur nunc hoc signum, quia majorem confert gratiam, et janua regni aperit. Præterquam quod propter commune bonum Ecclesiæ, et perfectionem statum legis gratiæ, ut in ea esset expressior sacramentorum significatio, oportuit hoc remedium originalis peccati ad certum ac definitum signum limitari. Deinde, si comparatio fiat ad remedium circumcisionis, omissa opinione eorum, qui negant potuisse illud remedium suppleri interdum per sacramentum legis naturæ, de qua infra dicemus, et supposita contraria sententia ut veriori, quam late tractat Sotus, dist. 2, quæst. 1, art. 3, dicendum est, non esse parem rationem de baptismo et circumcisione; primo quidem, quia necessitas circumcisionis non urgebat usque ad octavum diem, nec fortasse poterat prius applicari ob quancumque necessita-

tem, et ideo pro illo tempore non videtur exclusum aliud remedium, saltem necessitate urgente. Deinde quia circumcisio per se primo non fuit instituta ut remedium originalis peccati, sed ut est professio illius legis, seu fidei, ex quo consequenter habuit eandem vim, quam remedium legis naturæ, quasi loco illius succedens. Unde mirum non est, quod non omnino illud evacuaverit, ac de medio abstulerit. Cujus etiam signum est, quia nec toti orbi fuit proposita, neque omnibus infantibus Hebræorum applicari poterat, ut constat de fœminis. Quæ omnia sunt longe alterius rationis in baptismo. Nam et per se primo est institutus ad remittendum peccatum, et regenerandos homines in Christo, et omnibus applicari potest, et pro omnibus est institutus, et ut necessarius propositus. Denique accedit congruentia, quod circumcisio erat remedium difficile, et interdum periculis expositum; at vero baptismus est remedium facile, semperque sine periculo applicari potest. Est ergo certum, per baptismum revocatum esse omne aliud signum externum, non solum circumcisionis, sed etiam legis naturæ, quia quod tunc erat indifferens, nunc est a Christo determinatum ad baptismum, sub absoluta lege necessitatis. Neque existimo Bernardum de hoc unquam dubitasse, sed solum citato loco dubitat, quo tempore antiqua sacramenta cœperunt esse inutilia parvulis, in quo potius supponit, jam esse inutilia. Quod si etiam de præsentis tempore, vel de sua ætate dubitat, non est intelligendus, quoad legem ordinariam, sed solum quantum dubitari potest, an Deus alicui speciale privilegium concedat. Ad exemplum autem de adultis, quod in eadem confirmatione afferbant, respondetur, non esse eandem rationem, ut ex dictis facile constare potest, quia adulti sunt capaces justificationis per propriam dispositionem, in qua intrinsece, et quasi ex natura rei continetur votum baptismi, supposita ejus institutione et necessitate; in parvulis vero hoc non habet locum, ut dictum est.

9. *Ad tertiam confirmationem.* — *Sanctificatio in utero semper facta est ex aliquo privilegio.* — *Cur Deus patiatur infantes mori in uteris maternis.* — Ad ultimam confirmationem conceditur sequela, et consequens debet esse certissimum, scilicet infantes, qui in maternis uteris moriuntur, non posse salvari; ita etiam sentit universa Ecclesia, et Theologi omnes cum D. Thom., dicto art. 11,

quæst. præced.; et August., epist. 57; Fulgentio, de Fide ad Petrum, cap. 27. Hoc autem non est singulare legis novæ, sed in omni lege et ætate verum habuit, quia ut August. supra dixit, secluso speciali privilegio, nunquam potuit homo renasci prius, quam nasceretur ex utero matris, et ideo sanctificatio, quæ interdum facta est in aliquibus in utero materno, semper existimata est fieri ex privilegio speciali. Ratio autem hujus rei præcipue petenda est ex divina providentia et voluntate. Possumus autem nos nonnullam congruentiam illius voluntatis excogitare. Nam oportuit, ut sicut homines ab Adamo descendunt humano modo, et per actionem sensibilem ab illo contrahunt originalem culpam, ita per homines et per actionem aliquam sensibilem et modo hominibus accommodato eis applicaretur gratia Christi. At vero quamdiu infans est in utero materno, adhuc est veluti extra societatem humanam, unde non potest ad eum referri sacramentalis actio et intentio, cum adhuc non constet hominibus, quid ibi lateat, aut in quo statu, vel necessitate constitutum sit. Unde fit ulterius, non potuisse commode applicari hujusmodi remedium parvulis in eo statu existentibus, quia vel semper applicandum esset, quia semper timeri potest, ne sint in aliquo gravi periculo vitæ, et ita nunquam sanctificarentur per ordinaria remedia, quæ pro hominibus jam natis instituta sunt; vel certe nunquam potest opportuno tempore prudenter applicari, quia nunquam potest satis constare de necessitate aut statu, in quo infans existit in materno utero. Nisi forte quis dicat, remedium semper esse applicandum per orationes, vel alia signa fidei parentum; habere autem vel non habere effectum juxta divinam præscientiam; ita, ut si Deus præsciat, parvulum moriturum in utero matris, remedium applicatum habeat in eo effectum; non vero, si præsciat, illum esse victurum et nasciturum ex utero matris, sicut in simili dixit Marsil. in 4, quæst. 2, art. 1, dubio 1; sed hoc non est verisimile, ut bene notavit Soto in 4, d. 2, quæst. 1, art. 2, et 3 de Natura et gratia, cap. 10, quia sacramenta et alia remedia, quæ Deus nobis ad salutem reliquit, non pendent ex futuris eventibus, neque ex præscientia eorum, sed ex applicatione remedii instituti et dispositione recipientis; alioqui eodem modo dici posset, sicut dicebat Wiclef., hæc remedia habere effectum in prædestinatis, non vero in præscitis. Ad rationem ergo in illa ultima

confirmatione factam, fatendum est, Deum reliquisse hos infantes sine remedio pro illo statu, seu quod in illo statu applicari posset. Inde vero non fit simpliciter et absolute reliquisse illos sine remedio, quia sufficienter illis providit, saltem in causis universalibus. Nam pro illis instituit baptismum et per generales causas sufficienter providit, ut eis posset applicari; quod vero interdum impediatur hæ causæ ex concursu aliarum causarum, est per accidens, nec pertinuit ad ordinariam Dei providentiam, hæc omnia impedimenta tollere, aut propter privata incommoda et raros eventus extraordinaria concedere remedia, quorum usus convenientem modum et usum ordinarium sacramentorum quodammodo perturbaret. Unde interdum permittit Deus, infantem mori in eo statu absque remedio, ad ostensionem justitiæ suæ; interdum vero extraordinario modo providet, ut infans, non obstante quocumque periculo, aliqua ex parte egrediatur de utero matris, ita ut baptizari possit, antequam moriatur, ad ostensionem gratiæ et electionis suæ; neque in hoc negotio aliquid amplius petendum est a divina providentia, quia non tenetur singulis dare remedia pro singulis temporibus, et in quocumque statu, et sub quacumque conditione, sed satis est omnibus providere universali quadam ratione et modo hominibus accommodato. Quocirca non est omnino eadem ratio quoad hoc in culpa Adæ et gratia Christi communicanda. Nam illa transfunditur per naturalem generationem, et ideo in utero matris et in ipso conceptionis instanti participatur; gratia vero Christi per spiritualem regenerationem infunditur, quæ fit per humanam et sacramentalem actionem, ad quam necesse est supponi subjectum, quod sensibus atque oculis humanis subjacere possit.

## SECTIO IV.

Quo tempore cepit baptismus esse ad salutem necessarius.

1. Hanc quæstionem tetigit Bernard., epist. 77, ubi refert, quosdam suo tempore asseruisse, ab eo tempore, quo Christus dixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum*, cepisse baptismum esse necessarium ad salutem, ita ut nullus postea sine illo salutem sit consecutus; cui sententiæ videntur interdum favere sancti Patres, præsertim

Fulgent., lib. de Fide ad Petrum, cap. 3, ubi expresse dicit, baptismum fuisse necessarium ab eo tempore, quo Christus illa verba protulit. Et fortasse hac ratione Cyprian. et August. qui eum refert, lib. 4 de Anima et ejus origine, cap. 9, lib. 2, cap. 40, et lib. 3, cap. 9, conati sunt docere, sanctum latronem non fuisse mortuum sine baptismo, aut aquæ, aut sanguinis, aut saltem flaminis, ut addit idem August., 4 lib. de Baptismo, cap. 22 et 23. Unde colligit documentum, scilicet posse in necessitate sufficere ad salutem votum baptismi; quæ tamen omnia neque essent necessaria, nec consequenter dicta, nisi supponerent baptismum fuisse necessarium ante Christi mortem, quando latro justificatus est; non potuit autem tunc esse necessarius, nisi necessitas ejus inceperit ab eo tempore, quo Christus prædicta verba protulit Joan. 3. Unde in eadem sententia videtur esse Chrysost., homil. de Reditu suo ex Asia, ubi dicit, latronem esse baptizatum aqua, quæ ex latere Christi manavit.

2. *Ante Christi mortem et resurrectionem non fuit baptismi necessitas.* — *Lex non obligat antequam condita sit et promulgata.* — Dico primo: necessitas baptismi non incepit ante Christi Domini mortem et resurrectionem. Ita docuit Bernard., citato loco, et Hugo de S. Victor., lib. 2 de Sacram., p. 6, cap. 5, eosque cæteri Theologi secuti sunt et ratione facile convinci potest; nam licet Christus dixerit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit*, etc., non est verisimile, baptismum fuisse necessarium ab eo tempore, quo Christus protulit illa verba, primo quidem, quia non protulit illa tanquam condens et promulgans legem, sed in privato colloquio sermonem habens. Necessitas autem hæc orta est ex lege, ut infra dicam. Lex autem non inducit necessitatem, donec condita sit et promulgata. Deinde, quia in illis verbis non tam dixit Christus, quid jam tunc esset necessarium, quam prædixit seu indicavit, quid suo tempore futurum erat necessarium. Unde quod ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*, subintelligendum est, scilicet, eo tempore, quo talis modus renascendi fuerit hominibus præscriptus. Unde sumitur nova ratio, quia non potuit necessitas baptismi imponi ante institutionem ejus. Sed quando Christus protulit illa verba, nondum erat baptismus institutus. Ergo non possunt ea verba referri ad illud tempus, in quo dicta sunt, sed ad aliud tempus jam instituti seu

promulgati baptismi, pro quo prædicta sunt. Sicut quando Christus dixit Joan. 6: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, non indicavit necessitatem, qua jam tunc tenerentur homines, quando ipse proferebat illa verba, quia tunc nondum erat possibile manducare ejus carnem, cum nondum esset Eucharistiæ sacramentum institutum. Significavit ergo necessitatem paulo post, tempore debito, futuram. Sic ergo intelligendum est in præsentia. De reliquo autem tempore usque ad passionem Christi eadem fere ratio est. Nam licet ante mortem Christi fuerit baptismus institutus, non fuit tamen hominibus propositus ut necessarius ad salutem, quia præceptum ejus non fuit eo tempore latum; neque enim traditum nobis est, nec scriptum ante Christi mortem et resurrectionem, cum dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. Tandem adjungitur generalis ratio sumpta ex debita dispositione divinæ providentiæ. Nam si baptismus fuisset necessarius eo tempore, tam parvulis, quam adultis fuisset necessarius, quia simul cepit ejus necessitas respectu omnium. Ergo omnia antiqua remedia fuissent jam inutilia vel saltem insufficientia ad salutem eorum. Esset ergo tunc clausa salutis via hominibus, præsertim infantibus, non tantum ex accidenti, sed per se ex vi talis modi imponendi necessitatem. Patet ultima consequentia, quia, cum tunc non esset publice prædicatus baptismus, non poterant homines illo uti in remedium salutis, quia non poterant ullo modo intelligere vel cogitare, corporis abluionem fore utilem, nedum necessariam ad animæ salutem. Propter quam causam constans et certa doctrina est Theologorum, quæ in materia de legibus traditur, antiqua remedia, tam legis naturæ, quam veteris, non amisisse suam vim et utilitatem sufficientem ad tollendum peccatum, ante Christi mortem, ex quo necessario consequitur, baptismum non fuisse illo tempore necessarium.

3. *Quando cepit esse baptismi necessitas.* — *Ratio a priori.* — *Objectio.* — *Solutio.* — Dico secundo: necessitas baptismi non incepit a die mortis vel resurrectionis Christi, sed ab eo tempore, quo cepit Evangelium esse sufficienter promulgatum. Hoc etiam docet Bernard. in dicta epist., et colligitur ex Concilio Trident., sess. 6, cap. 4, dicente, post Evangelium promulgatum neminem justificari sine baptismo, ut recte notavit Vega, lib. 5, in

Trident., cap. 13, et cum Scoto et aliis doctoribus in 4, dist. 3 et 4, intelligendum esse declarat de solemnibus promulgatione toti orbi facta, sive illa simul, sive successive perfecta fuerit, et obligare cœperit in toto orbe, quod in materia de legibus ex professo tractandum est. Ratio autem a priori est, quia baptismus non prius cepit esse necessarium medium ad salutem, quam fuerit necessarius ex præcepto. Sed præceptum non cœpit obligare ante sufficientem promulgationem, quia hoc est de intrinseca ratione præcepti seu legis, sive sit de essentia, sive necessaria conditio ad obligationem ejus (parum enim hoc refert). Ergo nec cœpit baptismus habere necessitatem medii usque ad eandem promulgationem. Major declaratur, quia licet necessitas medii et præcepti, sint aliquo modo diversæ, tamen in his mediis externis, quæ natura sua non sunt medium, sed solum ex institutione, non potest esse necessitas medii, nisi ex necessitate præcepti oriatur. Quia si non sit datum præceptum de illorum usu, ergo omittere illa nullum erit peccatum. Poterit ergo aliquis salvari, etiamsi illa omittat, quia salus solum per peccatum impeditur. Ergo sine præcepto non potest intelligi necessitas simpliciter in hujusmodi medio. Dices, hoc ad summum procedere in adultis, non vero in infantibus. Illi enim possunt per contritionem justificari, et justitiam semel comparatam amittere non possunt nisi per peccatum, et ideo, nisi intercedat præceptum, quo teneantur suscipere baptismum, quodque violent, omittendo illum, non potest intelligi necessitas talis medii, neque quod votum ejus necessario in contritione includatur. Infantes vero nec justificari possunt per proprium actum, nec sunt capaces præcepti, et ideo respectu illorum potuisset baptismus esse medium necessarium ante latum præceptum, quia licet in carentia talis medii non peccarent, damnari possent propter originale non deletum. Respondetur primo, hoc nobis satis esse, quia, quicquid sit de possibili, tamen de facto certum est, necessitatem baptismi non prius incepisse respectu infantium, quam respectu adultorum. Nam Christus nullam inter eos distinctionem fecit, sed simul, et in omnibus locutus est. Deinde non fuit conveniens, prius cœpisse baptismum esse infantibus necessarium, quam fuerit parentibus imposita necessitas baptizandi illos. Hæc autem orta est ex præcepto baptismi. Quanquam etiam oriri potuerit ex lege charitatis et pietatis, supposita infantium necessi-

tate; tamen, quia hæc ipsa necessitas non poterat cadere in mentem parentum ante promulgatam sufficientem baptismi institutionem, ideo non potuit convenienter institui et imponi baptismus ut necessarius, etiam respectu infantium, ante sufficientem promulgationem. Unde potest hic tandem applicari supra facta ratio, sumpta ex debito ordine divinæ providentiæ, quia scilicet alias via salutis esset per se impossibilis omnibus infantibus toto illo tempore; quod est magnum incommodum; dico autem per se, quia per accidens non est inconveniens. Quod enim gubernator, aut legislator provideat, aut præcipiat media ex se impossibilia, est contra omnem prudentiam et sapientiam; quod vero remedia aut præcepta, alias possibilia, interdum executioni mandari non possint, humanum est; et non spectat ad legislatorem vel gubernatorem providere modum, quo possint in omni eventu et particulari casu talia remedia applicari. Sed occurrebat jam hoc loco explicandum, quando fuerit lex evangelica sufficienter promulgata, sed hoc non spectat ad præsentem locum, sed in 4. 2. disserendum est.

4. *An Christi morte utilitas circumcisionis evanuerit. — Prima responsio. — Secunda responsio.* — Objici vero potest contra hanc conclusionem, quia in puncto mortis Christi lex vetus evacuata est, et utilitas circumcisionis evanuit, juxta illud ad Rom 7: *Mortificati estis legi per mortem Christi*; ergo ex tunc coepit baptismus esse necessarius, alias nulum tunc permansisset remedium necessarium ad peccatum originale delendum. Respondetur primo, negando antecedens; cum enim Paulus significat, mortuam fuisse legem veterem per mortem Christi, non est necesse ita intelligi, ut in eodem momento, in quo mortuus fuit Christus, mortua etiam fuerit lex vetus, sed quia ex morte Christi manavit ablatio veteris legis, unde tunc posita fuit sufficiens causa hujus effectus, quamvis non statim, sed paulatim, seu opportuno tempore illum adfecerit, ut lex illa sepeliretur cum honore; sicut etiam sacrificia illius legis ablata sunt per sacrificium legis novæ, et sacerdotium vetus per sacerdotium Christi, et per mortem ejus, ut significatur ad Hebr. 7 et 9, et tamen nec sacerdotium, nec sacrificia vetera omnino extincta fuere in morte Christi, alioqui usus talis sacerdotii, et omnes ceremoniæ, et sacrificia legis veteris fuissent superstitiosa et sacrilega ab instanti mortis

Christi. Quod tamen verum non est. Dicuntur ergo hæc omnia evacuata per mortem Christi, quia tunc consummata sunt omnia, et confirmatum Testamentum novum, ex quo ortum est, ut vetus cessaret, modo tamen conveniendi et tempore opportuno. Secundo respondetur, negando consequentiam. Probabile enim est, eo tempore, quo lex vetus fuit mortua et non mortifera, adhuc non fuisse baptismum simpliciter necessarium ad salutem, quamvis utilitas omnium veterum sacramentorum et circumcisionis etiam, ut ad illam legem pertinebat, evacuata jam esset. Dicendum est ergo, illo tempore usque ad perfectam evangelii promulgationem durasse naturalem legem, et remedia salutis, quæ in illa erant, suam utilitatem non amisisse, quia illa non erant ita cæremonialia et umbræ futurorum, sicut veteres cæremonia, sed erant quasi connaturalia et per se ordinata ad salutem hominum. Unde fit, circumcisionem potuisse eo tempore prodesse ad remedium originalis peccati, quia hujusmodi utilitatem non habuit, ut speciale sacramentum veteris legis, sed ut participabat communem rationem et vim sacramenti legis naturæ, ut in superioribus explicatum est; hanc ergo vim obtinere potuit, quamdiu lex vetus non fuit mortifera; et ideo non oportuit, baptismum eo tempore esse simpliciter necessarium.

5. *Ad fundamentum contrariæ sententiæ. — An bonus latro fuerit baptizatus.* — Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, si aliquando Patres dicunt, baptismum coepisse esse necessarium, ex quo Christus dixit Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit*, exponendos esse non de eo tempore, in quo, sed pro quo protulit illa verba, ut a nobis satis explicatum est; quod vero Augustin., Cyprian. et Chrysostomus de baptismo boni latronis docuerunt, ex quadam pia consideratione, et copia doctrinæ dictum videtur, non quod fuerit necessarium, ut argumentum convincit, quia tunc nondum urgebat baptismi necessitas. An vero credibile sit, illum fuisse baptizatum, tractavi superiori tom., quæst. 46, art. 11, in Commentario, ubi probabilius duxi, non fuisse baptizatum baptismum aquæ antequam cruci affigeretur, quia nondum in Christum crediderat; quod vero in ipsa cruce non fuerit baptizatus, certo certius est; quis enim minister eum baptizasset, aut formam protulisset, aut qua aqua baptizatus esset? illa enim, quæ ex latere Christi manavit, non potuit ad illum pertinere sine miraculo,

quod non est fingendum sine fundamento; et fortasse prius quam illa aqua manaret e latere Christi, jam ille erat mortuus, nam prius fregerunt ejus crura, ut interficeretur, quam latus Christi aperirent; præsertim quia vivente Christo ille justificatus est, quando ipsum confessus est, et ideo ab eo audivit: *Hodie mecum eris in paradiso*. Unde etiam constat, non fuisse baptismum sanguinis justificatum, quia multo tempore ante mortem et ante lethalia vulnera, ac omnino desperata, justificatus est, et quando dici nullo modo poterat propter Christum pati. Adde passionem et mortem ejus non posse dici baptismum sanguinis, tum quia nec fuit verum martyrium, quia non propter fidem aut virtutem, sed propter sua scelera passus est; tum etiam quia licet illa mors fuisset martyrium, non tamen supplevisset necessitatem baptismi aquæ, quod est necessarium ad propriam denominationem baptismi sanguinis, quia tunc nulla erat talis necessitas. Atque eadem ratione non potest dici latro ille proprie baptizatus baptismum flaminis, quia licet veram habuerit contritionem, verumque Dei amorem super omnia, non tamen oportuit in eis includi votum baptismi, qui nondum erat necessarius; quod tamen votum est de necessitate baptismi flaminis. Quocirca ex hoc facto latronis non potest sufficienter colligi documentum illud, quod tunc in necessitate sufficiat votum baptismi; sed potest sumi argumentum a simili, quod sicut illi profuit ad salutem interior conversio in extremo vitæ posito, ita sufficiens esse poterit cuilibet in necessitate existenti, etiam si baptizari non possit, quia baptismi necessitas non abstulit vim suam interiori conversioni ad Deum, si ex perfecto corde profecta sit.

## ARTICULUS VIII.

Utrum baptismus habeat in omnibus æqualem effectum (4. d. 4. quæst. 2. art. 3. quæst. 1 et 2, et dist. 38. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. corp.).

1. *Ad octavum sic proceditur. Videtur, quod baptismus non habeat in omnibus æqualem effectum. Effectus enim baptismi est remotio culpæ. Sed in quibusdam plura peccata tollit, quam in aliis, nam in pueris tollit solum peccatum originale, in adultis autem etiam peccata actualia, in quibusdam plura, in quibusdam vero pauciora. Non ergo æqualem effectum habet baptismus in omnibus.*

2. *Præterea, per baptismum conferuntur homini gratia et virtutes. Sed quidam post baptismum videntur habere majorem gratiam et perfectionem virtutum, quam alii baptizati. Non ergo baptismus habet æqualem effectum in omnibus.*

3. *Præterea, natura perficitur per gratiam sicut materia per formam. Sed forma recipitur in materia secundum ejus capacitatem. Cum ergo in quibusdam baptizatis, etiam pueris, sit major capacitas naturalium, quam in aliis, videtur, quod quidam majorem gratiam consequantur, quam alii.*

4. *Præterea, quidam in baptismo consequuntur non solum spiritualem salutem, sed etiam corporalem, sicut patet de Constantino, qui in baptismo mundatus est a lepra. Non autem omnes infirmi corporalem salutem consequuntur in baptismo; baptismus ergo non habet æqualem effectum in omnibus.*

*Sed contra est, quod dicitur Ephes. 4: Una fides, unum baptisma. Uniformis autem causæ est uniformis effectus. Ergo baptismus habet æqualem effectum in omnibus.*

*Respondeo dicendum, quod duplex est effectus baptismi, unus per se, et alius per accidens. Per se quidem effectus baptismi, est id, ad quod baptismus est institutus, scilicet ad regenerandum homines in spiritualem vitam. Et hunc effectum æqualiter facit in omnibus, qui æqualiter se habent ad baptismum. Unde, quia omnes pueri æqualiter se habent ad baptismum (quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ baptizantur), omnes æqualem effectum percipiunt in baptismo. Adulti vero, qui per propriam fidem ad baptismum accedunt, non æqualiter se habent ad baptismum; quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt, et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt. Sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, licet ignis, quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem effundat. Effectus autem baptismi per accidens est, ad quem baptismus non est ordinatus, sed divina virtus hoc in baptismo miraculose operatur, sicut super illud, Rom. 6: *Ut ultra non serviamus peccato*, dicit Gloss. (Aug., lib. 4 de Pec. mer. et rem., cap. 39, tom. 7): *Non hoc præstat in baptismo, nisi forte miraculo ineffabili creatoris, ut lex peccati quæ est in membris prorsus extinguitur. Et tales effectus non æqualiter suscipiuntur ab omnibus baptizatis, etiamsi cum æquali devotione accedant, sed dispensantur**